



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Dedicatio S. Mariæ Ad Nives. 5. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

lexit, toties advectionem pro nobis in cælis ad Filii pedes facere, quoties è terris ADVOCATAM solenni formulâ *clamamus*, ut qui rei non clamant, sibi, non Advocatæ adscribant, si pereant. Porro DOMINICVS quatuor omnino Infulas, quas alii tam studiosè capiti quærunt, generoso fastu pedibus ipse subdidit; ter noctu pœnas à tergo suo, pro se primùm, tum pro viventibus in graviore noxâ, demum pro agentibus in igne piaculari manibus expoposcit. Mitto in homines, dæmonas, adeoque Superos imperium; quippe cùm toties jam hos exoraret quos oraret. Illud memorandum, qui MARIÆ vixerat, non sine MARIA demortuum esse. Affuit hæc, neque sola, sed inter Filii & Cælitum comitatum ad astra abduxit. Viam inquiris? per Rosaria ivit DOMINICVS. *Ex vitâ.*

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in viâ suâ, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hinc ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator. Ut ista patiatur: id est correctionis flagella non patiatur.
August. super Psal. 7.

DEDICATIO S. MARIÆ AD NIVES.

5. Augusti.

ANnus agebatur Christianus supra CCC. LXV. quando Romæ civis fuit patricii sanguinis, & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto expectas Mariane, cùm JOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjugis suo, fuere opes ingentes, sed spes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cælo adscisco? & an explere dignioribus nominibus ceras possum?

possum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus est. Imò JOANNES non sum, si hæredem MARIAM non scribo. Eja igitur Virgo, tu sola jam tabulas imple. Filio si careo, certè tu non cares, qui cum animum æternum oblectem. Audiit JOANNEM MARIA, & affem omnem in montem Exquilinum conferre jussit templo exædificando eo in loco, quem postero mane nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus & facilius utique grandinem quàm nives daturus. Adit tamen JOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pont. Max. in somno à VIRGINE monitus accedit & fundamenta templi jacet, quod per omnem orbem hodie clarum MARIÆ MAIORIS nomen gerit. Miraris, Sodalis, miraculum? laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego VIRGINIS templa monstrabo.

Ex Brev.

Meritò in te ô Maria virgo respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creaverat, recreavit. S. Bern. serm. 2. in festo Pentecost.

S. OSVVALDUS REX C. 5. Augusti.

Purpuram qui bis tingunt, etiam OSWALDVM laudabunt, Angliæ Regem, qui suam suo iterum sanguine tinxit. Dubium planè reliquit, an Christi hostes vicerit, an ab his victus deinde sit gloriosius. Pugnaturus cum parvâ manu contra ingentes Britonum copias, trophæum tamen ausus est ante victoriam ponere Crucem, quam adorasse illi cum suis, vicisse fuit. Abhinc regni Christiani proferendi cupidissimus dignum rege munus